

Grenzveränderung zwischen Paderborn und Münster

Dekret der Konsistorialkongregation vom 7. März 1960

in: AAS 52 (1960) 572

De mutatione finium dioecesium

Concrediti gregis spirituali bono apprime studentes, Excmi PP. DD. Laurentius Jaeger, Archiepiscopus Paderbornensis, et Michael Keller, Episcopus Monasteriensis, ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum dioecesium fines aliquantum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Sacra Congregatio Consistorialis, attento favorabili voto Emi. ac Revmi. D. Aloisii Iosephi S.R.E. Cardinalis Muench, iam in Germania Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationes aeternae animarum saluti cessuras, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Ioanne Divina Providentia PP. XXIII tributarum, oblatis precibus annuere dignata est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto:

1. ab archidioecesi Paderbornensi separat partem territorii municipiorum quae vulgo appellantur Henrichenburg et Recklinghausen et exstat sub iurisdictione Archiepiscopi Paderbornensis, illamque perpetuo adnectit dioecesi Monasteriensi, ita ut integra territoria praedictorum municipiorum Henrichenburg et Recklinghausen, prouti nunc lege civili circumscribuntur, ad dioecesim Monasteriensem pertineant;
2. vicissim a dioecesi Monasteriensi distrahit partem territorii municipiorum vulgo nuncupatorum Castrop-Rauxel et Herne, quae est sub iurisdictione Episcopi Monasteriensis, illamque perpetuo adsignat archidioecesi Paderbornensi, ita ut integra territoria praedictorum municipiorum Castrop-Rauxel et Herne, prouti nunc lege civili terminantur, ad archidioecesim Paderbornensem pertineant.

Eadem Sacra Congregatio Consistorialis, sic immutatis praefatarum dioecesium finibus, mandat ut documenta et singula acta, quae praedicta territoria respiciunt, a Curia a qua ad Curiam dioecesis cui illa noviter sunt aggregata tradantur; ad clerum vero quod attinet, decernit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio beneficium auf officium ecclesiasticum legitime detinent; ceteri autem clerici Ecclesiae illi incardinati maneant in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia executioni mandanda eadem Sacra Congregatio eum deputare dignata est qui actu regit Apostolicam Nuntiaturam in Germania, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem S. Congregatio-

nem Consistorialem, quam primum, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Quibus super rebus edit praesens Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.